

EPISTOLÆ TRES

PRO CANONICA INNOCENTII ELECTIONE ASSERENDA.

(MANSI, Conc., XXI, 432, ex codice Udalric.)

I.

Cardinalium et episcoporum Sanctæ Romanae Ecclesiæ ad Lotharium regem.

L. divina inspirata clementia Romanorum clarissimo regi, justitia rigore fulgenti, episcopi N. et N. et cardinales Romani, cum ceteris fratribus, salutem et perpetuam de hostibus suis victoriam.

Nullus Christianorum ignorat, optime rex, quod Romana Ecclesia Dei institutione et sanctiorum Patrum imitatione et religiosorum virorum devotione, dominia sit non Urbis, sed orbis; et ea consistente cuncta prospere consistunt, eaque deficiente cuncta decrescent. Et sicut altius excellit, sic ventorum ac tempestatum tyrannidem facilius a se repellit; et quanto rerum mundanarum turbine conquassatur, tanto lucidius purificatur. Beatæ igitur memorie papa H. migrante et viam universa terra ingrediente, nos episcopi et cardinales G. cardinalem diaconum Sancti Angeli, virum honestum, moribus compositum, Deo Deumque timentibus charum, in suum pontificem elegimus, in ecclesiastici Lateranensem constipatum catervis fideliorum deduximus, et in sede summa positum nos et insinuata religiosorum turba honoravimus. Post hoc in palatium ascendimus, et quæ ex more geri solent complevinus et omnia insignia pontificalia II. papæ, Calixti [papæ Paschalis] papæ suorumque predecessorum ei tribuimus. His vero circa horam tertiam rite peractis, Petrus Leonis hora sexta, qua Judas Christum crucifixit, et teneribrarum caligo mundum involvit, cum suis conspiratoribus atque consanguineis aliquique manifesto prelio conductis, ecclesiam Sancti Martii turribus fratrum propinquam, festinanter adiit, cappam rubeam indecenter induit, fictitiisque pontificatus insignia arripuit. Sequenti autem die ecclesiam Beati Petri armis petlit, machinis circumdedit, tecta murosque fregit, homicidiis peractis et nimia numani sanguinis effusione, sic cum improbis apostolorum principis intravit januas. Altera autem die armata manu ad Lateranensem ecclesiam perrexit, sumo, igne, sanguine eam violenter invasit. Palatum concendit, pontes confregit, sedes pontificum contrivit, sacrarium beati Laurentii aperuit, quæ optima sibi visa sunt diripuit, ad propria se recollegit. Postbac palladium, in quo dominus noster papa Innocentius cum Catholicæ Ecclesia residebat, aggreditur. Verum equitibus et equis plurimis amissis in confusione suæ ignonimia domum

A turpiter recessit. Deprædationes vero ecclesiæ et præcipue beati Petri thesaurum, quem pontifices Romani et sacratissimi imperatores Deo beatoque Petro dedicaverunt in lampadibus aureis, calicibus, thuribulis, candelabris, imaginibus, crucibus, gemmis, aliisque vasis pretiosis, nec non et palliis et vestibus sericis auro gemmisque contextis, directiones necnon et prædiorum ecclesiasticorum ignorations, et peregrinorum expoliationes quantæ sint qui Romam vel Jerusalem properant eentes et redeuntes utique diffamant. Quæ vero alia turpia ipse siquicunque complices gerant regalibus auribus non sunt referenda. Sed per Dei gratiam infra paterni muri caveas jam latitat: abbates, marchiones, principes, aliqui barones in auxilium Catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ properant. Orientales et Occidentales Ecclesiæ prædictum invasorem pari voto parique consensu unoq[ue] spiritu anathemate condemnant, dominum vero Innocentium papam a Catholicis Catholicæ lectum, Catholicæ consecratum, sicut universalis, patrem et beati Petri vicarium amplectuntur, venerantur, suisque nuntiis frequentant. Quod igitur super his celsitudo vestra, o gloriissime rex, agere debeat, regalis providentia Spiritu sancto succensa provideat. Accingere igitur, et archiepiscopis, et episcopis, abbatibus religiosisque viris, nec non et regni principibus solito more in auxilium principis apostolorum properanter occurre: quatenus Ecclesia Dei letetur, religio Christiana sublimetur, schismaticorum perfidia compri- C matur, corona capitis tui a rege cœlesti benedicatur. Quæ vero hic desunt venerabilis frater noster G. [Gualterus] et Deo dilectus Ravennatis Ecclesiæ archiepiscopus viva voce clarisfabit, quem attentius serenitati vestre commendamus, et ut eum pro reverentia beati Petri et totius Catholicæ Ecclesiæ honorifice tractetis, rogamus.

II.

Gualteri Ravennatensis archiepiscopi ad N. Parthenopolitanum seu Magdeburgensem archiepiscopum.

Venerabili domino N. sanctæ Parthenopolitanae Ecclesiæ archiepiscopo G. sanctæ Ravennatis Ecclesiæ minister, licet indignus, salutem et perpetuam in Christo dilectionem.

D Visis sanctissimæ paternitatis vestre litteris quibus me, quanquam invisum et facie ignotum visitare voluistis, plurimum in Domino gavisi sumus et congratulati, quem etsi longa terrarum spatia a nobis separant corporaliter, tamen, quæ divisa

connectit, separata conjungit spiritualiter vos amplectimur, et pro posse nostro vobis servire paratus sumus. Super quo vero unum nostrum consilium desideratis, taliter respondemus. Decedente SS. Romanæ sedis episcopo, beatæ memorie patre nostro Honorio, sicut audivimus et in veritate conpperimus, Innocentius, qui quondam Gregorius dicebatur, Sancti Angeli diaconus cardinalis, bonorum omnium, Deo quemadmodum ab æterno providerat disponente, per electionem venerabilium fratrum et dominorum nostrorum unanimiter in unum convenientium, Guillelmi Prænestini, M. Albanensis, et Joannis Hostiensis, D. Sabinensis episcoporum, et reliquorum Catholicorum cardinalium ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ regimen assumptus est canonice. Postmodum vero Petrus Leonis, qui papatum a longis retro temporibus affectaverat, parentum violentia, sanguinis effusione, decrustatione sanctorum imaginum, facta et conspiratione inverecunda facie (rubeam sibi cappam assumens), universalem matrem nostram sanctam Romanam Ecclesiam turpiter usurpare et Simoniace occupare contendit. Hac itaque veritate comperta, cum universitate totius Italicae Ecclesiæ prædictum Innocentium virum sobrium, prudentem, castum, mansuetum, humilem, omniisque morum honestate conditum pro more Ecclesia per supradictos venerabiles fratres divinitus consecratum, nostrum universalem patrem, papam, et apostolicum indubitanter amplectimur, devote colimus et veneranur. Prædictum vero Petruum, vere leonis rugientis filium, quærentem quem devoret, tanquam non electum, sed contra Deum et sanctam Ecclesiam erectum, non assuimplum sed intrusum, non apostolicum sed apostaticum, non Catholicum sed hæreticum, non consecratum sed execratum, divina ei in omnibus et per omnia contradicente auctoritate, condemnantes abdicamus. Vestra igitur sanctitatis prudentiam suppliciter exoramus et vicaria charitate constantiam vestram fidei velut columnam immobilem in Domino confortamus, quotenus in fide beati Petri et in obedientia ejus vicarii dilectissimi Patris nostri Innocentii, per gratiam S. Spiritus electi, sanctæque Romanæ Ecclesiæ dilectione firmiter persistatis. Præterea ne vestis Christi inconsutilis a persidis et infidelibus sortem mittentibus, quod divina avertat clementia, dividatur, et navis Petri fluctibus marinus hinc inde concussa periclitetur, devotissime suggerimus, ut dominum Lotharium invictissimum Romanorum regem ad Urbem sine dilatione venire viriliter et instanter exhortari dignemini, et tam vestram dicceseos fratres et episcopos, quam etiam reliquos vestros comprovinciales, velut alter Petrus aliquando conversus, in prædicta fide indubitanter confirmetis, quotenus tam per dominum regem, quam et per vos pax Ecclesiæ reformetur, et Judaicæ persidiae hæresis, quæ nuper in eadem Ecclesia exorta est, præstante Domino, funditus extirpetur, et contra omnia quæ se extollunt contra unitatem et veritatem, vos tanquam

A murum ferreum pro domo Domini firmiter opponatis. De cætero in vestris sanctissimis orationibus in omnibus nos et per omnia humiliter commendantes, obnoxie rogamus, ut hoc, quod ante homines vel ab hominibus dicimus aut existimamur, ante Deum vestris suffragantibus nobis meritis, esse quandoque mereamur. Orantem pro nobis vestram sanctitatem divina pietas ad multorum profectum et ad sanctæ Ecclesiæ honorem et utilitatem incolumem in longum conservare dignetur.

III.

Henrici Lucensis episcopi ad eum aem.

Venerabili domino N. sanctæ Parthenopolitanæ Ecclesiæ digno archiepiscopo II., Dei, gratia Lucensis servus et episcopus, spiritum consilii et fortitudinis.

De ordine electionis Romani pontificis, si vobis placuisset a viris religiosis ac me sapientioribus ut vobis notificaretur, expetere non erat incongruum. Sed quoniam vobis, ut Patri et domino meo, non satisfacere non debo, de multis pauca perstringam. Convenientibus cardinalibus in ecclesia S. Andreæ apostoli statutum est ab eis, octo personis, duobus episcopis, G. Prænestino, et C. Sabinensi, tribus cardinalibus presbyteris P. Pisano, P. Ruso, et Petro Leonis, tribus cardinalibus diaconibus, Gregorio scilicet Angeli Jonathæ, Americo cancellario, electionem pontificis committi, ita ut si committeret dominum papam Honorium, qui tunc in articulo mortis positus erat, ab hac vita transire, persona quæ ab eis communiter eligeretur, vel a parte senioris consilii, ab omnibus pro domino et Romano pontifice susciperetur. Prænestinus etiam cum ceteris decrevit, ut si quis electioni taliter factæ contradiceret, anathemati subjaceret; et si quis alium attentaret eligere, factum pro infacto haberetur, nec ipse ulterius in Ecclesia locum consequeretur, quod et ipse Petrus Leonis ore proprio confirmavit, adjiciens non oportere eos dubitare, quod occasione sua in Ecclesia scandalum oriretur, quoniam mallet in abyssum submergi, quam propter scandalum nasci. Deinceps statutum est ut electores altera die simul convenient. Cæterum Petrus Leonis cum Jonathan ab eis recedens, ut corvus ille vel submersus vel carnium ingluvie detentus, ad fratres postea redire contempsit, et conventicula seorsum colligens, altare maledictionis eligere satagebat. Quod nisi dominus papa Honorius, quem credebat jam mortuum, se ad fenestram populo ostendisset, cum fratrum et propinquorum, ac numeribus et obsequiis conductorum turba ministrorum, præceo Antichristi, supra quod dicitur Deus, ante tempus se extulisset. Itaque cum hæc talia præsensissent ii, quorum corda Deus tetigerat, Ecclesiæ periculum expavescentes, et tempestatis procellas jam intumescentes, cum papa Honorius in vi fr. de initio Quadragesimæ ad patres suos appositus esset, celebratis exequiis pro necessitate loci et temporis, non tamen ex more sicut oportebat, cum cala-

mitatis tempestas instaret, de octo personis ad electionem electis, Prænestinus, Sabinensis, B. Rufus, A. cancellarius, quintum Gregorium cardinalem diaconum Sancti Angeli, invitum et omnibus modis renitentem, cum religiosis viris episcopis, cardinalibus presbyteris, diaconibus et subdiaconibus, in summum pontificem elegerunt, cum Petro Leonis, qui erat octavus, P. Pisano sexto et Jona-tha septimo remanentibus. Quod vero compertum est ab his, qui dolum in corde conceperunt, ut ini-quitatem parerent, nam et ipse Petrus Leonis a longis retro temporibus ad id pervenire, ut avarus et ambitiosus, affectaverat, sicut multis probatur indiciis, tribus generibus munerum nunc hos, nunc illos sibi alliciens, congregatis, quos potuerunt, proh dolor! cum episcopo Portuensi rubea cappa illum vestierunt. Quod factum multæ sanguinis effusiones, multæ locorum urbis destructiones, terribiles sacrarum imaginum decrustationes; heu facinus! pro stipendio militum suorum sibique

A obsequentium, consecutæ sunt: quamvis Leo ejusdem Petri Leonis frater, et alter Leo frangentis panem, cum utriusque striderent dentibus, alter in alterum, antequam papa obiisset juraverunt coram cardinalibus, quod neuter eorum de electione pontificis scandalum faceret, sed quem Ecclesia elige-ret, pro domino venerarentur, et colerent. Nos autem sententiam et consilium religiosorum virorum Catholicorum et orthodoxorum, de Tuscia, de Longobardia, et de Ultramontanis partibus amplexan-tes, approbantes et imitantes, Petrum Leonis in hoc facinore ut schismaticum, et quoniam suu schisma defendit, hereticum omnimodis abdicamus, dominum vero Innocentium pro patre et summo pontifice tenemus, recipimus, veneramur et colimus. Paternitatem vestram pro nobis orantem Dominus omnium conservare dignetur. Me ad ser-vitum vestræ sanctitatis inconcussa fide, quasi unum de famulis vestris, deprecor ut existi-metis.

B

VULGRINI

SEXAGESIMI SECUNDI BITURICUM ARCHIEPISCOPI

E P I S T O L Æ

In causa Innocentii II Romani pontificis.

(*Historia Patriarchii Bituricensis auctore anonymo, ap. LABBE, Biblioth. nov. miss II, 82.*)

Sexagesimus secundus præfuit dominus Vulgrinus, vir nobilis, docus, facundus, in consilio providus, et omni virtutum decore ornatus. Tertio adepto pontificatus anno, idem præsul dominum Sugerium Sancti Dionysii in Francia electum præsente Ludovico rege benedixit in abbatem apud eamdem Dionysianam abbatiam. Interea vero cum Girardus Engolismensis episcopus, homo factious et schismaticus, Anacleti antipapam (qui ante Petrus Leonis dicebatur) partes defensurus, gravem Ecclesiæ Catholice persecutionem pararet, atque quosdam episcopos sibi resistentes a propriis sedibus deturbare præsumpsisset, ceteri orthodoxi præsules Aquitanie ad patriarcham et primatrem suum dominum Vulgrinum tanquam ad asylum consugiendum consulto decreverunt, scientes eum esse tantum ne tales, ut et violentos malorum conatus sua auctoritate facile impedi-re posset, et (quod magis est) pro ecclesiis sibi iure primatus subjeciarum pace et salute libenter cum Apo-stolo charitate superimpendi vellet. Plures igitur hac de causa ad eum evistolas direxerunt, quas huic ovisculo inserendas esse in argumentum rei gestæ censuimus.

I.

V. Xantonensis episcopi ad Vulgrinum.

VULGRINO Dei gratia Bituricensi archiepiscopo, domino suo charissimo, Vv. Xantonensis episcopos, salutem et obedientiam.

Sanctitati vestræ significamus quod Girardus ille Engolismensis Ecclesiam Dei in partibus nostris adeo perturbaverat, ut jam quereretur inter nos enjus quis professionis esset. Et quia ipsius præva-persuasioni nos et comprovinciales episcopi assenti-tre nolebamus, Pietavensem et Lemovicensem, fretus auxilio principis nostri, a sedibus suis expulit, et alios intrusit. Sed quia non habere poterat episco-

C pos, non consecravit illos. Abbatem quoque Angeria-censem in nostra diœcesi existentem, a monasterio suo per manum comitis ejicit. Inter nos etiam prin-cipeisque nostrum tantam seminavit discordiam pro eo quod intrusos suos consecrare, imo exsecrare no-lebamus, quod et nos et canonici nostri a sede no-stra, et ab urbe et Ecclesia ob metum et minas prin-cipis egressi sumus, derelictis domibus et possessio-nibus nostris justitiae gratia. Accidit autem ex divine respectu pietatis, quod iste tam nefandus et scelerat-tus præcursor Antichristi Girardus Engolismensis quadam die cum per episcopatum nostrum transi-set, ab Aimaro de Archaco, milite strenuo, sororgio